

terquam modo. In quo primo colloquio obnixi me rogaverunt, ut apud vestram sanctitatem pro illis intercederem, ut eas dignaremini visitare, consolari, animare, docere, monere, et in omnibus, quae ad salutem pertinent, curam gerere. Ergo obsecro vos per mansuetudinem Christi, ut vice mea propter Deum illas dignanter suscipiatis, placeatque vobis exhortari illas ad omnia officia pietatis. Precatae sunt autem similiter super Burgardum illius monasterii prepositum, et, ut michi dixerunt, optimum in sua iuventute clericum, qui illis multa
 f. 24'. confert ^{*}bona. Sed quoniam michi per omnia est ignotus, nescio qua fronte illum possim adire mea petitione. Igitur pari modo vos ut idoneum magistrum et verissimum efflagito, ut vice benigna eas illi adsignetis, referentes ei gratias de praeteritis bonis, quae illis est conferre dignatus, et postulantes de futuris, et hoc vice illarum, ne videantur ingratae, et mea, si ei servire possem. Indigent enim tanto adiutore et consolatore. Deus scit, non satior vobis scribendo eloqui, etenim quando vestram praesentiam merui, aures cordis valde necessarias habui. Iterum valete.

III.

Reverentissimo et plurimorum preconiiis celebrando A. magistro H.

Quid anxietatis, quid tedii, quid denique pudoris animo tulerim, postquam vestrarum me persequi contigit penita¹ litterarum, non facile mihi ipse extorqueo. Quibus cur non rescripserim, id in causa est. Distentum me serio rei familiaris negotio, laturarius vester repentino superventu oppressit, cum iam dies in vesperam praeior commearet. Dataque vestra ex parte salutata², ac qui mittebantur quaternionibus mancipatis, id horarum superfuit, dum signo prenuntio vespertas peteremus, quas tunc quidem ob sanctae crucis insignem memoriam praeterisse iniurium videbatur. Quibus exactis ac repetito diversorio, ille quidem a nobis minime compertus est. Portarius eum abduxerat, nos vero propter imminentes vigiliis festivae noctis curata humanitate cubitum discessimus, missarum a vobis teste
 f. 25. Christo minime conscii litterarum,^{*} quod neque is quicquam se praeter quaterniones et penulas attulisse monstraverat, nec nobis eosdem quaterniones, quibus abdita erant scaedae, eatenus³ copia fuerat revolvendi. Cursor vester regressionis anxius antelucandum credidit, atque me quidem renitente ac saltem usque ad gentaculum distinare frustra conato, matutinus abscessit. Postridie eius diei cum libellos nostros scrinio componerem atque, quos mihi profecturo comites delegeram, secre-

1) Gl. marg. 'interiora'.
 'usque tunc'.

2) 'salutate' Hs.

3) Uebergeschrieben